

adscribere volunt: Hi itaque periculum faciant, si eis è longinquo turris, libero oculo rotunda, telescopio vero quadrata appareat, an ideo non quadrata, sed potius rotunda sit?

Quoad numerum, Egomet ipse experiundo didici, dum ob aliquam causam ante portam nostræ urbis, ad distantiam dimidii ferè milliari Germanici, duas faculas & duas candelas portari ac incendi curavi: quas ut quatuor nudis vidi oculis, ita quoque (longe tamen verius) quatuor etiam telescopio meo vidi. Igitur frivolis rationibus videntem velle cæcum redere, haud est ratiocinari, sed potius hallucinari.

Porro, cum Telescopia, ut notum est, parvum saltem circulum seu superficiem, non duos gradus excedentem, communiter comprehendant, nihilominus tamen opè eorum sæpius uno intuitu, 10, 20, 30 &c. Stellæ possint videri, facile conjecturandum est, quot millia millium earum, possimus nudis oculis conspice-

re, si isti per se queant præstare, quod sit beneficio Tubi.

Stellarum itaque multitudo innumerabilis & incredibilis est, sicut enim semper melioribus tubis plures ac plures ubique locorum inveniuntur Stellæ; nec dubitandum, quin meliora perspicilla confici possint: Ita quoque non dubitandum, quin melioribus adhuc tubis, major semper ac major numerus Stellarum investigari possit. Illud enim, quod à nobis etiam optimis tubis, Stellæ in infinitum non possint observari, non arguit eas non esse, sed illas ob inæstimabilem enormemque semper majorem ac majorem à Terra distantiam non videri, utpote omnibus in infinito spatio (prout Optica nos docet) ita coarctatis, ut in oculis nostris videantur evanescere, quemadmodum ex majori & majori distantia, si Sol noster inspiciatur, semper minor evaderet, donec denique immensitate distantiae adspectus ejus omnino nobis denegetur vel penitus evanescat.

Stella ob majorem semper & majorem distantiam, non videri possunt.

CAPUT XXX.

De Stellarum Fixarum Magnitudine.

Stellas Fixas, Astronomi diviserunt in 6 classes Magnitudinum; Postquam enim supposuerunt distantiam earum à Terrâ, easque omnes in eadem Cæli superficie confi-

stere; ac observarunt quanta cujusque Stellæ sit diameter *Apparens*, quantaque *Vera*: collegerunt ex his, quæ foret cujusvis Stellæ magnitudo.

Diametri Fixarum Apparentes observatæ ab Astronomis.

Magnitudinum Classes.	Prima	Secunda	Tertia	Quarta	Quinta	Sexta.
<i>Albategnius</i>	1 -- 30"					
<i>Tycho, Longomontanus & Blancanus</i>	2 -- 0"	1 -- 30"	1 -- 5"	45"	30"	20"
<i>Lansbergius</i>	1 -- 0"	40"	30"	20"	10"	5"
<i>Hortensius</i>	0 -- 8"	6"	5"	4"	3"	2"
<i>Keplerus olim Galilæus</i>	3 -- 0"	2				1"
<i>Maginus</i>	10 -- 0"	5 -- 30"	4 -- 0"	3 -- 0"	2 -- 0"	1 -- 0"
<i>Ricciolus</i>	-- 18"	12"	7"	6"	5"	4"
<i>Nos per cap. 2. lib. 7.</i>	0 -- 6" vel 7"					

Ex apparente diametro, & suppositâ Stellæ distantia, colligitur Vera ejus

diameter, & exinde cujusvis Stellæ magnitudo.

Ff 2

Stella